

Dysenteriam ... disquisitioni proponit David Valtherus ... / [David Valther].

Contributors

Valther, David, active 1678.
Fasch, Augustin Heinrich, 1639-1690.
Universität Jena.

Publication/Creation

Jenae : Charactere Nisiano, [1678]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/qcg9qktw>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

SUPREMO FAVENTE NUMINE!

Auctoritate Illustris Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE

AUGUSTINO HENRICO
FASCHIO,

MEDICINÆ DOCTORE CELEBER-
RIMO, ANATOMIÆ, CHIRURGIÆ AC
BOTANICES PROFESSORE PUBLICO,
ARCHIATRO DUCALI SAXONICO
FAMIGERATISSIMO,

*Domino Præceptore, Patrono ac Promotore suo
etatem de-venerando,*

DYSENTERIAM

PRO LICENTIA

ASSUMENDI DOCTORATUS GRADUM
EJUSQUE PRIVILEGIA ET HONORES

solemni pbiliatorum disquisitioni proponet

DAVID VALTHERUS,
CIZA MISNICUS,

p. t. PRACTICUS CRIMMICENSIS.

Ad d. V. Junii M DC LXXVIII.

In Acroaterio Magno

Horis ante- & pomeridianis.

JENÆ, CHARACTERE NISIANO.

DYSENTERIAM

SUPREMO ADSISTENTE ARCHIATRO!

§. 1.



ffectum produco in scenam , omnium ætatium homines depascentem , DYSENTERIAM. Non pudet equidem, vernali quasi tempore examinare hunc morbiferi autumnii foetum; Speramus tamen, fore, ut hōc ipso conatu inaugurali Academicō, quem divinā suffulti clementia publicè præstandum suscepimus, proximi nostri salus decenter & imposterum promoveatur.

§. 2.

Sine nominis explicatione rem tractare velle, idem videtur, quàm tempus perdere; siquidem conturbatus nominum usus rerum ipsarum conturbat cognitionem, juxta *Gal. lib. 3. de simpl. medic. facult.* Proinde affectus hujus *ὀνομαζωγίαν* inquirere, non poenitebit operæ. *Grajis* suum nomen debet *δυσεντερίαν* à particula *δύς*, quæ genericè difficultatem; *specialiter* malitiam denotat, & *τῇ ἐντέλει*, *intestina*, *ἡδὲ τὸ ἐντὸς εἶναι*, quòd *in abdominis cavitate* sinuosis circumvolutionibus suis delitescant. Difficultas hæc intestinorum non intelligenda est, quasi *segniter* aut *tardè* eadem sese exonerent; Sed quod *malè* & *crudeliter* infestata, sese habeant, quatenus creberrimis dolorosisq; depositionibus agitantur, simulq; ultra modum coguntur, non sui cum levamine; sed notabili detrimento, propter eorum exulcerationem, erosionemq; unde non rarò anima simul turbatur, è sedeq; suâ propellitur. *Latini* idem retinuerunt nomen, simulq; cum *Calio Aureliano* adpellitant intestinorum difficultatem, & cum *Cornel. Celso lib. 4. cap. 15.* per tormina, quibus intestina torquentur, exprimunt. *Dioscorides* *Σειφρασικῶς* adpellitat *δυσεντερικὸν πάθος*. *Germani*, *die rothe Ruhr* / *den rothen Durchlauff* / ob cruentam alvi dejectionem; vel
A
ubi

ubi solum mucosa, phlegmatica^q iisdem ferè cum torminibus rejiciuntur, die weisse Nahr exprimunt. Hinc *Willisius pharmac. rat. sect. 3. cap. 3.* aliam *cruentam* nominat, aliam *aquosam*.

§. 3.

Dysenteriae vox sumitur vel *impropriè*, vel *propriè*. **IMPROPRIE** pro omni sangvinolento aut cruento alvi profluvio, cujus tres species recenset *Galen. lib. 3. de caus. sympt. cap. 2.* *Prima* est, quando sangvis restagnans ex consuetà evacuatione intermissa tandem exitum quærit per alvum & sui evacuationem aut imminutionem expectat; diciturq; αἱματηρὴ. *Secunda* dicitur ἡπατική, sive fluxus hepaticus loturæ carniū similis. *Tertia* μελαγχολική, ubi atrabiliarii sanguinis, nigricantis picis adinstar, fit dejectio, quæ *Tralliano* dicitur ρευματική, *lib. 8. cap. 6.* **PROPRIE** verò sic dicta dysenteria est, ubi τὰ ἐντέρα ζύεται καὶ ἐλκῶται, *intestina raduntur & exulcerantur*, unde brevibus intervallis coguntur dysenterici cum torminibus deicere excrementa pituitosa, cruore extravasatō nonnunquam remixta; nonnunquam purulenta simul; nonnunquam & purus excernitur sangvis, nonnunquam grumosus. De hac solâ in præsentī agemus.

§. 4.

Definimus itaque propriè dictam *Dysenteriam*, quòd sit *exulceratio intestinorum, cum frequenti eâq; cruentâ purulentâq; alvi dejectione, dolore & torminibus vehementibus ab humoribus, acri & erodenti qualitate præditis dependens.*

§. 5.

Exulceratio generis vicem tenet, quam *Gal. 6. de loc. aff. cap. 2.* per τὸ ἐλκεῖ exprimit, ubi dysenteriam adpellat intestinorum ulcus. Promovetur ab acris erodentibusq; humoribus, qui intestinis τὴν συνεχεῖας λύσιν *solutionem continui* inducunt, quæ in partibus mollibus carnosissimis ἐλκεῖ nominari solet. Undè hic affectus morborum classē ingreditur, & quidem dum hanc ipsam inducit, eò ipsò similes eorum partes,

partes, tunicæ nempè, calidâ afficiuntur intemperie; quatenus verò considerantur intestina, ut partes organicæ, officiô certô præfectæ, morbum patiuntur organicum, dum interior eorum superficies, quæ ob mucositatem naturalem lævis pro faciliiori ciborum digestorum transitu est, à vitiatâ humorum qualitate, quâ intestinis singulariter sunt infesti, exasperatur, vitiaturque.

§. 6.

Neque hæc symptomatum classes præterit; sed locum, sibi sumit in excretis & retentis, quæ hîc quoad ipsorum substantiam & modum exeundi considerata sunt.

§. 7.

Subiectum ut QVOD, est homo, qui dysenteriam laborare dicitur. Ut QVÔ, sunt *intestina*, quæ ferè omnia huic malo sunt exposita. Afficiuntur autem illa tam ratione partium suarum tenuiorum, quàm crassiorum. Utriusque generis infestari intestina ex vagabundâ hinc indè in illorum anfractibus tortuosis materiâ, tormina satis acuta excitante colligitur. Tunicæ interioris mucilago, quâ naturaliter quasi incrustata visitur, successivè ab erodenti materiâ depascitur, & in pituitosa abit excrementa, qualia in principio dysenteriae rejiciuntur. Tunc ulterius tendit & inficit tunicas ipsa erosio, usque dum acrimonia ipsorum canaliculorum mediam tunicam carnosiores perreptantium, & in intestina hiantium oscula attingat, erodat, & ita sanguinis exsudationem, profusionem, ejusque permissionem cum aliis excernendis promoveat.

§. 8.

Per *essentiam* afficiuntur intestina, quibus mordax materia adhæret. Non tamen negandum, eadem posse in huncce *consensum* trahi ab ipsô *contagiô*, quod toti simul communicatur corpori toti que massæ sanguineæ, sed etiam in specie intestinis.

§. 9.

Intestina tam tenuia, quàm crassa, nonnunquam vel suprà, vel infrà, vel in medio afficiuntur; nonnunquam per

omnia ; πανταπασιν , & ubique exulcerari posse , credibile omninò est ; id quod & *Forestus lib. 22. obs. 33.* adnotavit. De crassis nullum dubium est ; Siquidem cadavera dysentericorum sufficienter in sectionibus probarunt, eadem scatuisse apostematibus , purulentis tuberculis & exulcerationibus. Vid. *Hollerius in Scholiis , Falcoburgius , Thom. Barthol. Cent. hist. anat. 6. hist. 2.* & alii, quorum experientia per signa concomitantia confirmatur. Tenuia affici intestina posse, rationi consentaneum est omninò. Malum hoc, corruptis in ventriculo cibis, communicatur ipsis intestinis, undè non possunt non hæc ipsa prius affici, quàm crassa. Huc quadrat *Helmontii*, & ex hoc *Grembsii* sententia, qui culpam dysenteriae in pylorum rejiciunt, quòd hic expellat ex ventriculo, atq; eum mali fomitem alliciat, *Tract. pylorus Reclor.*

§. 10.

Undè verò tanta copia materiae, quæ rejicitur? Nequit esse dysenteria, nisi unà adsit *προχώνσις*, *alvi dejectio*, & hæc quidem est vel *αιμαλώδης*, *cruenta*; vel *πυώδης*, *purulenta*. Interdum etiam juxta *Galen. 4. aph. comm. 26.* *πυμμελώδη σώματα*, *adiposa corpora*. Materia autem promovetur & augetur, totâ naturâ consentiente, modò dispositio adsit partium, quæ labem aut contagium tale facile suscipiat. Frequens est dejectio, quæ sæpenumerò infestat, instatq; licet pauca ejiciat, stimulum continuum sortiens ab affluente acri humore, intestina lancinante & vellicante, facultatemq; expultricem continuo irritante, nullas verò moras retentrici concedente. Hinc est, quòd intestinum rectum tenesmo vexetur continuo, quò ægrotantes, lecto licet fortiter affixi, cogantur surgere, & cupidè desiderare & egerere, qui conatus desidendi dolorem lancinantem mordicantemque individuum habet comitem.

§. 11.

Materia cruenta & purulenta, quæ excernitur, à corruptione & exulceratione intestinorum eorumq; tunicarum, ab affluentibus humoribus & sanguine dependet. Sicuti omnes partes

partes nutrimentum ex sanguine in sibi similem substantiam mutandi naturaliter habent; ita in statu aut dispositione p. n. affluentes humores & excrementa aliter atq; aliter immutandi, juxta *Senn. de Dysent.*; unde varietas excretorum dependet.

§. 12.

Causa immediata dysenteriei profluvii est illa ipsa materia acris exulcerandiq; vi præditæ violentia, quæ parietes intestinorum continuo vellicat, mordet & ad egerendum simul & necessario irritat.

§. 13.

Mediata proximior est ipsa materia, violentiam talem exercens, exulcerationemq; intestinis inducens, quæ *essentialiter* considerata sunt humores biliosi, pituitosi, serosi, acres, mordaces, naturæ salinæ, Gialis, oocalis, colocynthiacæ, eleborinæ, intestinis maximè infesti, qui acrimoniâ suâ vim illis inferunt, διαθεσις pravam imprimunt, tonum naturalem continuo impugnando invertunt, humores reliquos suis tincturis juxta *Paracelsum* fermentant, simulq; erodendi vi ad intimiorem intestinorum substantiam penetrant, eandem erodunt, cruorem educunt, intolerabilem cruciatum ibidem excitant, & exulcerationem inducunt.

§. 14.

Chimici accusant *Θ resolutum*, διαθεσις pravam mordax factum, fuliginibus oocalibus, quorum in specie mentionem facit *Quercet. tetr. aff. capit. cap. 6.* permistum. *Helmontius* acorem incusat, Archeum intestinorum ad iram commoventem. *Sylvius* ad bilis & succi pancreatici nimiam effervescentiam confugit. *Willisus*, Anglorum decus, suspicatur succos præstantiores, scil. nervosum & nutritium, solidis partibus appositum, corporis in dysenteriam à crasi suâ penitus vitari & quasi fluorem passos deliquari & in massam sanguineam redundare, versus stomachum & intestina per vasa coeliaca transferri, & per arteriarum oscula transsudare. Hos talium horrendorum symptomatum causas affert *pharm.ration.sect.3.cap.3.p.75.*

Essendi modus prædictorum humorum examinandus tam quoad quantitatem, qualitatem, quàm quoad generationis motum, & localem. *Quantitas* turget hîc, quam non ferre valet natura, ideoq; turgescentia humorum continuò impellit ad exitum, quia inquieti in intestinis hærent succi. *Qualitas* præcipuè calida, non solùm quatenus acrimoniâ pollet, sed etiam quatenus contagiosa *μιάσματᾶ*, erodendi vi prædita tenet, attendenda omninò est. *Congestionis & motus localis ratione* videmus varia ingeri in ventriculum, quæ vel cruditatibus an-
sam præbent, vel dispositionem communicant intestinis, dùm inquinando eadem & totam massam sangvineam inficiunt, turbant, disponuntque, ut *Θ*lini stimuli heterogeneam & malignam erodendi facultatem acquirant, quibus torturas intestinis tam feroces imprimere tunc valent, imò denique cruorem ex iisdem exprimere. Et sic membra mandantia tam cor, quàm totum corpus, miasmate hõcce vitiosò, beneficiò circulationis imprægnata, sunt habenda.

Vie, tam naturaliter inservientes, quàm p. n. communicantes aut disponentes constitui duplices possunt. *Il-
la* sunt ductus cholodochus, & pancreaticus; hic serosi humoris, ille bilis excrementitiæ dicatus evacuationi. His adnumerari posset *pylorus*, qui crudos & facillè degenerabiles cibos imperfectè vel vitiosè coctos ad intestina dimittit, quibus inficiuntur. *Hæ* sunt ipsi *pori*, quibus structura intestinorum scatet, qui abrasâ mucagine & exulceratione factâ *ναυσιώσει* quâdam cruorem dimittunt. Neq; vasa lymphatica videntur omni culpâ hîc vacare, siquidem laticem, quem vehunt, p. n. affecta retinere non valent.

Jam dicta non parùm dilucidantur, modò *tractio*, *ἔλξις* consideretur & *ῥωσις*, *pulsio*. *Hæc* à robustioribus fit ad debiles partes. *Illa* tum à calore, tum à dolore in intestinis promoyetur.

§. 18.

Mediata remotiores causa sunt 1. *Supernaturales*. Omnis boni datorem esse Jehovaham, quisquis humillimâ mente deprædicat. Stringere tamen gladium iræ morboꝝ dysenterico regiones punire potest, ob dona sua ingluviosè & temerariè deglutita. Et ita in perniciem cedunt fructus, qui aliàs in usum corporis sunt creati.

§. 19.

Inter naturales TEMPERAMENTUM primum occupat locum, & quidem *calidum & humidum*, putredinem quod facile concipit; & *calidum & ficcum*, sive *biliofum*, acribus falsisq; humoribus gignendis idoneum. Utrumque dysentericæ favet labi.

§. 20.

Ætas omnis conspirat; nulla eximitur. *Puerilis* propter dentitionem disposita est aliàs ad profluvia alvina; & dum cibis suos adimplent ventres, digestio depravatur, & sic excrementis scatent intestina. *Juvenilis* plurima eduliorum genera edendo, fructus varios appetendo, haustumq; plenior potûs impurioris superbibendo sæpè sibi hoc contrahit malum. *Matura ætas* seu *perfecta*, habetur dysenteriarum ferax, effato *Hippocr. 3. aph. 30.* ob bilis majorem copiam, à quâ flavâ concitior alvus deducitur à *Gal. in comm. ad h. l.* *Senilis* ob caloris debilitatem infelicitè coquit ingestos cibos; excrementa sic cumulantur, fructusq; horarii largiter comesti eò magis hoc ad profluvium disponunt.

§. 21.

Sexus uterq; hōc corripitur malō. Licet calidiores habeantur mares fæminis; attamen, quod illi calore sibi acquirunt malum, hæ in vetita proclivi animo & ingerendi cupiditate erroribusq; in victu aliis strenuè accumulanti.

§. 22.

Habitus corporis obesior huc aliquid conferre poterit, humoribus consentientibus & simul commotis, gulæque ubi indulgetur nimium. Cum accedat insuper otium, aut victus pravus.

vus aut vitæ genus inconueniens, facilis erit ad fluxiones tales
consensus.

§. 23.

SEX RES NON - NATURALES notabile hūc confe-
runt symbolum, & potissimum ferè AER, qui (1.) *humidior*
& *pluviosus*, vitiosos per hyemem collectos humores vere col-
liquat. (2.) *Siccior æstivalis* ferax dysenteriarum 3. *aph.* 16.
Non tamen simpliciter ad siccitates consequi has, autor est *Ga-
len. in Comm. ad h. l.* (3.) *Autumnalis*, qui inconstans planè
est, propter caliditatem æstivalem & frigiditatem hyemis ad-
properantis reciprocè humores agitat & subito turbat, juxta
Galen. 3. aph. Comm. 22. (4.) *Hyemalis* si siccior nimium fue-
rit, unde humorum agitatio continuatur & dysentericæ inva-
siones in hyemis medium nonnunquam protrahuntur. *Totâ*
substantiâ peccans aër vel *attractione* per inspirationem, vel *cir-
cumfusionem* aut ambitu corpori *μιάσματᾱ* maligna communi-
cat, unde epidemicæ fiunt dysentericæ & malignæ, integras re-
giones sæpè & cum strage multorum occupantes. Haurire
etiam sic intra corpus miasma dysentericum à propinquo potest,
qui cum dysentericis versatur, conversatur, victitat, dormit,
vel eos tractat.

§. 24.

Symbolum aëris adaugent tam ratione quantitatis, quàm
qualitatis suæ *alimenta* intra corpus assumpta, cum quibus non
solum aëris particulae volatiles *Θινᾶ* impuræ malignæ, sed
ipsa *μιάσματᾱ* alimentis communicata deglutuntur. VICTUS
prava ratio multum hīc præstat; siquidem inquinamenta talia,
cujuscunque denicq̃ sortis sint, cum cibis assumpta, corpori
nostro aliena, assimilari inepta, reliquos humores inficere pos-
sunt, usque dum particulae unitæ & materia coacervata fuerit,
ut natura stimulata expellere conetur per alvum venenum illud
cum humoribus vitiosis, à quibus intestina exulcerantur. Plura
egregiè disserit de his *Higbmor. disquis. anatom. lib. 2. part. 3. c. 4.*
Ex reliquis *fructus* *ὠρεῶν* denominandi jam sunt, qui propter apti-
tudinem putredinem faciliè concipiendi maximè ad dysenteriam
dispo-

disponunt, qualia sunt: *Pruna cerea seu flava, rubra, mala persica, pyra precocia, fraga, nuges varii generis, fungorum genera &c.* Item *omnia dulcia, mellea, saccharina, lac &c.* Insimul acredinem ferociamq; bilis & pituitæ salsedinem cruditate inductâ augere possunt *omnia salita, carnes salitæ & fumô indurata, vetustæ, &c.*

§. 25.

Similis ratio est cum POTU, qui tum quantitate, tum, qualitate hîc confert. Impuriore, nondum benè defecata cerevisiæ immodicè assumptæ, liberalius fluere faciunt alvum; multò magis deglutitæ vel superbibitæ prunis exorbitanter comestis. Exempla Studiosorum probant, qui autumnali tempore ruricularum tabernacula quærunt, prunorum variorum esu sese delectando haustuq; tali largiori aut musto implendo. Reduces alterô die de nausæa, torminibus alvini, citatiori alvô conqueruntur, denique Dysenterici sunt facti, nonnunquam sine, nonnunquam cum ipsius vitæ dispendio.

§. 26.

SOMNUS & VIGILIÆ, MOTUS & QUIES, quatenus cruditatum promotores sunt, aut inordinate sese habent, etiam malo huic aliquid addere valent.

§. 27.

EXCRETA & RETENTA decenti modô sese ut habeant, necesse est. *Illa* frigidum corporis statum; *hec* imbecillitatem naturæ indicant. Ita *Zacut. prax. admir. lib. 3. obs. 19.* à menstruis suppressis dysenteriam notavit, & à fecibus induratis *idem.* VENERIS habenda quoque ratio est, ne intempestiva aut nimia, ferosiora reddat corpora, & ita ad hunc morbum magis disposita.

§. 28.

ANIMI PATHEMATATA bilem ferociorem reddunt, sanguinemq; movent, & ita dysentericum profluvium faciilitant.

§. 29.

Ex *rebus p. n.* eminet *contagium*, quod vel in aëre latitat, & *communi* hujus usu communicatur omnibus; vel *speciali*, quò individuum certum corripitur, quod apud tales ægrotantes versatur; cui accedit, quòd terrore aut timore propter morbum hunc percutiantur.

§. 30.

Differentiam habet dysenteria (1.) *generis ratione*, ubi *alia* simplex, *alia* composita; *alia* fiens, *alia* perfecta est. (2.) *Subjecti ratione*; *alia* occupat intestina tenuia, *alia* crassa, *alia* utraq; simul; *alia* etiam ventriculum ipsum habet affectum. Hæc viscera interdum *ιδιοπαθικῶς*, interdum *συμπαθικῶς* sunt affecta, & sic ab aliis morbis derivatur dysenteria. (3.) *Causam* habet *alia* bilem, *alia* pituitam falsam, *alia* malignitatem conjunctam. (4.) *Accidentia* variant. Ita *alia* est sine, *alia* cum exulceratione; *alia* mitioribus stipata symptomatibus; *alia* gravioribus & periculum certum vitæ minantibus, qualis esse solet, quæ sitim habet continuam, appetitum dejectum, febrem continuam, vigilias, delirium, convulsiones &c. malignitatemque.

§. 31.

Signa diagnostica *παθογνωμονικά*, essentiam hujus morbi, magnitudinem & morès indicantia, desumuntur (1.) à *GENERE*. Talia summam recenset *Trallian. de agritud. singul. human. corp. part. l. 8. cap. 8.* suntque intestinorum exulceratio, inflammatio, cruenta purulentaque, quæ fecem repræsentat odoremque tetrum spirat, excretio cum dolore, tenesmus &c. & quò notabilia hæc sunt, eò periculosior est affectus. Ad *συμπερνούσας* five *supervenientia* signa referuntur febris præsens, seu continua sit, seu *κακονθής*, sitis intolerabilis, appetitus prostratus, vigilæ, sudores, colliquatio carniū & similia, quæ vel morbi magnitudinem, vel malitiam vehementiorem indicant aut confirmant. II. *SUBJECTI* ratione, dolores circa umbilicum acuti intestina *tenuia* affecta magis esse indicant; qui verò supra umbilicum sunt & laterales, *crassa*. Notæ etiam

etiam ab excrementorum qualitatibus desumuntur aliæ, quæ hinc indè prostant adnotatæ. III. CAUSARUM ratione, alia dicitur biliosa, alia pituitosa, falsa, melancholica, vel pura, vel mixta, quam itidem excrementa rejecta indicant.

§. 32.

PROGNOSTICA signa *salutem & mortem* concernentia, nunc attendenda. Ἡ δὲ νόσος ἰσχυρά, χαλεπή καὶ ἐπικύνδυνός ἐστι δυσεντερία; ideoq; ratione GENERIS magnitudo hujus morbi, quæ partim in exulceratione, partim in κακονομία consistit, undè maligna esse solet & epidemia, examinanda omninò est, cujus periculum variat, tum *ratione temporum morbi*: Ita faciliorem admittit curationem *incipiens*, quàm quæ incrementum sumsit; periculi plenissima, imò lethalis, quæ *consummata* & maligna; tum *ratione invasionis* ipsius: Quæ aliis (lienosis) morbis supervenit & *critica* adpellitari potest, bona judicatur, juxta Hippocr. 6. aph. 8. Item quæ furditatem solvit 7. aph. 3. & maniam, 7. aph. 6. Quæ verò variolas sequitur, plerumque lethalis est. Quæ symptomatibus gravioribus, cardialgiâ, febre, appetitu planè prostrato, &c. stipata invadit, majora vitæ pericula minatur. Ita repentina subitam humorum corruptionem, & virium imbecillitatem arguit; Quæ cruorem merum fundit, continuis & ferè momentaneis sedibus, cum sudore frigidò & vigiliis, &c. metum majorem incutit, imò mortem imminere præfagit. SUBJECTI ratione etiam dysenteria vel magis vel minus est periculosa. Quæ intestina tenuia occupat, difficilior judicatur & periculosior; quæ in crassis est, non adeò periculosa, nisi gravia superveniant symptomata. CAUSAS si ponderamus, deteriore ab atrâ bile pronuntiat Hippocrates & ferè lethalem, aph. 24. lib. 4. Mitior esse judicatur, quæ à pituitâ bili permixtâ; *gravior*, quæ ἐπὶ ἀγνότητι ὑποχωρήσει à solâ bile sincerâ originem trahit. Insimul facilior curatu habetur, quæ à causâ externâ dependet, quàm quæ ab internâ, nisi corrosivæ qualitates ὄξιαles, cocales aut similes sese immiscuerint.

§. 33.

Longitudo & Brevitas patescit ex ipsius dysenteriae more & magnitudine. Referri solet eapropter ad morbos acutos, qui ultra XIV. diem vix durant, quorum dierum terminum non solet transcendere dysenteria. Siquidem intestinorum structura ita comparata est, ut carnosior seu media tunica consolidationem, interior verò cicatricis inductionem admittere, non recuset, praesertim ubi vires & natura robusta, ægrotantesque medicis obtemperent præceptis.

§. 34.

MODUS EVENTUS ostendit diuturniorem dysenteriam defuisse in lenteriam, quam excepit hydropicus status; *Ad mortem* terminare ut plurimum solet, quæ pustulas, singultum contumacem, sudorem frigidum habet comites, aut quæ carunculas excernit, ulcera intestinorum profundiora indicantes. Cum verò incipiunt excrementa pauciora fieri, simulque sui alterationem indicant, constantibus viribus, ætatis vigore, remediaque ex voto officium præstent, *ad salutem* terminaturam esse dysenteriam, omninò persuasum nobis habemus.

§. 35.

CURATIO nititur METHODO & INDICATIONIBUS consuetis, quarum prima est *curatoria*, quæ morbum ipsum respicit, & solutam per exulcerationem intestinis inductam unitatem mundare, abstergere & consolidare jubet, simulque quod vitiatum est, per convenientia medicamenta sarcotica & epulotica restituere. *Præservatoria* causas, exulcerationem hanc inducentes & foventes, acrimoniâ & erodendi vi pollescentes corrigere, inhibere, emendareque mandat per medicamenta absorbentia, acrimoniam prædictam imbibentia, simulque malignitati resistentia. *Vitalis* partium vigorem exoptat conservandum, ne à symptomatibus supprimatur. Satisfieri autem hisce potest è tribus usitatis fontibus, quorum primus est

§. 36.

CHIRURGICUS. HIC VENÆ SECTIO examinanda,
an

an conducat? *Galenus 4. de vict. rat. in acut. comm. t. 118.*
Item lib. 1. ad Glaucon. Rondeletius meth. Cur. morb. cap. 20.
Martianus comm. in lib. Hipp. de rat. vict. in acut. & alii negant,
venæ sectionem in dysenteria cum fructu institui posse.
Adfirmant contra etiam multi, quos interest Altimarus de med.
hum. corp. mal. cap. 74. Trallianus l. c. & Aëtius, Forestus
lib. 22. obs. 34. Schol. & alii plurimi. Verum licet nonnunquam
febris urgeat, plethoræque in corporibus adsit, non tamen
sufficiens hæc ad statum dysentericum imminuendum arbi-
tramur indicans. Siquidem dysenterico malo nihil detrahi-
tur, quod jam intestina infestat exulcerareq; intendit eadem.
Quibus verò placuerit, è v. nâ emittere sanguinem, iis potius
suafores essemus, præservationis gratiâ ut instituant, ubi vi-
gor naturæ, ætas, tempus, locus & alia consentiant. Sin sit,
qui sub primam invasionem nimium confidat huic auxilio, ei-
dem præsuppositis præsupponendis, non adeò refragabimur.
Præter hanc nihil auxilii firmi spondere valet dysentericis chi-
rurgia.

§. 37.

Secundus est PHARMACIA, quæ partim evacuat, par-
tim alterat, tum internorum propinatione, tum externorum ad-
plicatione. Ex internis primum sunt nominanda *dejectoria*,
quæ speciali nomine LENIENTIA salutantur, quod è primis
viis & intestinis simul leniter educant stabulantes ibidem hu-
mores, dysentericæ ansam præbentes facilem. Si itaque in supe-
rioribus intestinis est vitium, ab epotis medicamentis præfidiū est
petendum, effato *Gal. de loc. aff. cap. 2.* Admitti possunt primis
diebus, nisi notabilia symptomata, malignitasque dissi-
deant. Parantur ex *rhabarbaro* vel crudō, vel tostō, *myroba-*
lanis, tamarindis, aliisque.

§. 38.

Vomitoria mitiora admitti quoque possunt in principio
juxta Autores; *Galenus* svadet eadem, si in inferioribus, in-
quiens, ulcus consistat, tunc per superiora; sin in superioribus
per inferiora esse purgandum, *lib. 4. meth. med.* Concedi etiam

possunt, cum æger sit ad vomitum proclivis, & circumstantiæ aliæ consentiant. Inter talia ☉ *amygd. dulc. non rancid. cum decoct. bord. simpl. vel* ∇ *tepidâ fontanâ* mixtum, commendatur.

§. 39.

Clystres duplicem merentur hîc laudem, quatenus eluunt intestina & detergunt, & quatenus acrimoniam mitigant & consolidant; idque eò magis præstant, si intestina inferiora laborent, quibus convenit magis clysterem subijcere juxta *Galen. l. de loc. aff. cap. 2.* Materia variat pro ratione scopi. *Abstergentes* parari solent ex *chamomilla, alch. glyzyrrh. bord. mund. lacte, vitellis ovorum, saccharo rubro.* Mitigantes aut consolidantes recipiunt *plantag. sanic. consolid. saracen. virg. aur. hyperic. verbasc. fl. rosar. rubr. rad. bistort. torment. symphyt. maj.* additis sevis *hircin. cervin. &c. oleis* itidem *chamom. verbasc. &c.*

§. 40.

Preparantibus humores, digerentibus & fortioribus purgantibus, non tutus hîc conceditur usus, nisi ratione causarum aut temporis, ubi non solum ab acribus putridisque possunt vindicare intestina fecibus, sed etiam illos, qui aliundè mittuntur & fluxum adaugent, remove.

§. 41.

Diaphoretica contrà sunt eò magis commendanda, tam sub principium, quàm finem dysenteriae. Humorum influxum invertunt, acrimoniam mitigant, absorbent, naturam muniunt, malignitatem seu *πλάσμα* peregrinum coercent, dispellunt, & ità sanguinem in *κράσι* suâ, quantum possunt, servant. Denique sub finem omne, quod naturæ insidias struxit, radicitus eliminant. Locum inveniunt hæc in omni dysenteria, præcipuè tamen in malignâ & epidemia. Pluribus exemplis confirmare possemus, nisi ratio temporis & chartæ esset habenda. Varia prostant hûc quadrantia simplicia, è quibus composita fieri queunt magistralia, suntq; : *bolus armenia, terra sigillata, unicornu fossile, bezoard. Trital. & diaph.*

§ diaph. lapis bezoar. C.C. calcinatum Δ apert. & Δ philos.
scordium, tormentill. scabiosa, ruta, petasites, theriaca, &c.
Laudantur etiam pulvis bez. Sennert. Michael. essentia & tin-
ctura bezoard. variorum medicorum cum essentia specificâ
permistâ, aqua theriac. Paracelsi & alia. Dosis indicant
ipsæ circumstantiæ & Medici Angliæ.

§. 42.

Diuretica ex usu esse possunt, quatenus humores ad
vias urinarias vertunt, præcipue si $\square$ resistere observetur,
quod sæpius fieri solet. Sint autem simul traumatica, vel trau-
maticis permista. Locum hîc invenient ex Δ parata bal-
sama, lapides Σ , crystallus, bezoardicis aut specificis miscen-
da. It. herb. capillares, & cichoracea, in decocto. Neque
Emulsionem contemnendâ erunt.

§. 43.

Alterantia, quæ confortantium nomine aliàs veniunt,
vel ipsum profluvium dysentericum & ipsius symptoma-
ta, vel malignitatem & contagium respiciunt. Talia ferè
omne absolvunt curationis negotium. Siquidem, quæ sunt
exulceratæ partes, sanandæ; quæ debiles, confortandæ;
quæ in humorum affluxum consentiunt, resuscitandæ; &
ut ad vigorem naturalem ducantur, malignitasque arcea-
tur, omnis opera adhibenda. Laudantur ab aliis Galeni-
ca, in vulgus etiam nota medicamenta cydoniata, myr-
rhina, è plantagine, sandalo rubr. rosâ, uvâ immaturâ, aceto-
sâ, rad. tormentill. consolid. bistortâ & aliis; Item: ex ebore
seu spodio, unicornu fossili, coralliis rubr. &c. variis modis præ-
parata & propinata.

§. 44.

Chimici egregia hunc in usum facientia elaborant phar-
maca ex $\odot$ lo, & ex Jae , qualia sunt Δ r. $\odot$ li, narcoticum,
R. hujus Δ ris, R. Jtis adstringens, stiptica, crocus Jtis ad-
stringens, & similia. Essentia traumatica simulq; antidysen-
terica l. a. educatæ, unâ cum specificis pulveribus aliisq; anti-
dotis Excellentiss. meorum Præceptorum, Domini D. Wedelii &
D. D.

D. D. Præsidis, præ aliis hîc commendari merentur, utpotè quæ ab experientiâ creberrimâ satis superq̃ sunt confirmata. Notandum hîc insuper erit, liquida non semper ex voto respondere, sed his præferri omninò debere, palmamq̃ præripere sicca, quæ fluxui magis sunt contraria.

§. 45.

Symptomata magis urgentia specialem quoq̃ desiderant opem, quâ non solum continuato fluxui, & huic conjunctis torminibus, vigiliisq̃ satis fit. Hanc egregiè & cum levamine plerorumque præstabunt medicamenta ex *opio* parata, quæ vel per se exhiberi possunt, vel specificis antea dictis permisceri. Varia ex hîc præparata & descripta continet *Chimia in artis formam redacta B. Rolfincii & Opiologia Excellentissimi Domini D. Wedelii*, suntque *laudanum opiatum, magister. anodyn. essentia opii & tinctura cum succis specificis* parata, & in decenti dosi propinata.

§. 46.

Externis suis quoque hîc relinquitur usus. Respi-ciunt hæc vel ulceris curationem, vel symptomatum mitigationem. Utrumque præstabunt vel impositione cataplasmatum, emplastrorum, vel inunctione balsamorum. Materiam his præbent *verbascum, hyperic. chamemel. roman. absinth. menth. aristoloch. rot. theriaca, & NM. expr. cydonior. mastich. cera, carminativ. Myns. hyoscyam. &c.* Varia commendantur ab aliis autoribus. *Brunnerus in consil. med.* commendat externè cataplasma ex *micâ panis & rad. torment. in vino aut acetô* ad pultis consistentiam coctis. *Agricola* imponit regioni ventriculi *theriacam, terram sigillatam, croc. & tis adstr. cum extracto tormentillæ* subactam in formâ emplastri. *Riverrius in praxi* fomentum, quod gratiam & laudem meretur. *Tormina* sedabit *omentum arietinum*, recens & adhuc calens impositum abdomini, autore *Amato Lusitano centur. cur. 6. obs. 2.* Imò ab aliis *cutis ipsa vervecis* recenter detracta & adhuc calida imposita laudatur.

§. 47.

§. 47.

Tenesmo satisfieri poterit vel per *clysteres*, qui ex *lacte*, *fem. lini*, *melle rosaceo*, *oleoq. verbasci* parati laudantur. *Suffimenta* fiunt ex *verbasco* juxta *Mynsicht.* ex *decocto rapsie barbata*, & aliis, quæ calida fomenta multum præstabunt levaminis. *Inunctiones* fiunt cum *oleo verbasci, lini &c. fo-*
tusq. simul institui potest cum *lacte tepido*. Nonnullis placet, ano prominenti *pulveres siccantes* adspargere ex *mas-*
tiche, &c.

§. 48.

DIÆTÆ regimen nunc est addendum, quod magni hîc est momenti. In *Vitali* **AER** neque calidus nimis, neque frigidus esse debet. Non excessivè calidus, ne calorem febris adaugeat; non frigidus, ne intestinis & abdomini, cordique noceat. *Purus* sit, non inquinatus peregrinis foetidisque atomis. Sin talis, corrigendus per *suffimigia* ex *masliche, ibure, myrrh. succin. benz. syrac. calam. lign. aloes &c.*

§. 49.

Naturalis VICTUM svadet, & quidem *cibum*, *ευχυμον καὶ εὐπεπτον*, omni acrimoniâ, falsedine aut aciditate nimia carentem. Proderunt hinc *decocta avenacea, hordeacea, juscula & carnes pullorum, caponum, gallinarum*, attamen sine notabili pingvedine. Sorbitiones ex *amylo, ptisana cremore* cum *amygd. dulcibus paratas* exhibet *Forest. lib. 22. obs. 15.* Similem præstabunt operam *pulticulæ* ex *oryzâ, avenâ, triticô, hordeo* cum ∇ *ros. paratæ*, additâ guttulâ unâ vel alterâ *olei oliban. mastichis*, vel *pulveres* horum permiscendi. *Panis similagineus* probè fermentatus & benè coctus prodest. *Teneriores carnes vitulorum, agnorum, aviumq.* si appetantur, conceduntur. *Ova* etiam forbilia vel tremula probantur. *Fructus horarii* propter facilem corruptionem, & humiditatem, & alia flatulenta proscribi debent. *Cydonia* verò poma cocta cum vino, vel saccharo pro lubitu ægrotis conceduntur. **POTUS** sit *cerevisia* benè defecata, pura,

nec adeò vetusta, cui immergatur panis tostus, pulvere nucis myristicæ obductus. Calida & tepida bibatur, non frigida. Si febris urgeat potum, decoctum hordei c. C.C. scorzon. tormentill. & cinamom. svadendum, aut gelatina C. C. addenda erit potui. Lac chalybeatum concedi potest. Vinum, nisi febris impediat, correctum cum absinth. tormentill. Zedoar. scordio, mace &c. concedi potest in principio; aliter, in declinatione tam album, quàm rubrum. Mustum non admittitur.

§. 50.

Animalis svadet motum temperatum, ne morbus excitetur; *quies* placida in lecto calido amplectatur. Somno indulgendum omni studio circa noctem. *Vigiliis* non adeò connivendum, cum turbent & inquietos ulterius reddant humores. *Animi pathemata* decenti sese habeant modo. Ab irâ commoti, aut mærore correpti malum deterius reddunt. Svavibus colloquiis potiùs sunt excitandi. *Excreta* quod attinet dysentericorum, iisdem inspergunt pulverem sympatheticum. Digbæi, aut eadem deponere jubent dysentericos super colcothar ☉li, & ita curam magneticam instituunt, quæ tamen non semper felici coronatur eventu.

Tu verò, potentissime animæ & corporis Archiater, corona dissertationis nostræ finem exoptatissimâ benedictione; corona actiones nostras felicissimò successu ad tuam gloriam & proximi commodum; & tandem corona nos post beatam analyfin immarcescibili & triumphali vitæ æternæ palmâ ad animæ nostræ æternam salutem!

DEO TRIVNI GLORIA SVMMA!

COrporibus morbos jampridem expellere
novit
VALTHERUS, ægris & salutem red-
dere.

Jam calamô impugnat morbum, speratque
supremos
Hygiæ honores. Fiat! Age feliciter!

*Nob. & Cl. DN. Doctorando, Fautori co-
lendo & nunc Commensali suavissimo,
animum benecupientem declaraturus
scrib.*

Joh. Gvilielmus Bajer,
S. Theol. D. Prof. Publ.

HActenus eximios ausûs, variosque labores
perspexit Phæbus, quos nocte diuque subisti.
Jam Tibi digna parat, ceu sœvit, præmia, honores,
& famam ex praxi, quæque hinc factô agmine plura
Commoda provenient. Nos plausus jungimus æquos,
Vt capiti murex, feliciter omnia cedant.

Nobiliss. Dn. Doctorando novos honores
ex animo gratulor, majoresque
exopto

Georg. Wolffg. Wedelius, D.

D*um intestina solet defixis urere spinis
& terebrare poros ventris dejectio rubra,
En! facis egregiè tantos examine motus
perpendens medicosque modos curamque ministrans,
queis placidâ Archeus compostus pace quiescat.
Ordo Machaonius confert hinc præmia summa
& Medici titulum Doctoris in arte periti.*

Gratulabundus hæc
Nobil. Clarissimoque Domino VALTHERO,
Practico felicissimo,
Amico suavissimo
posuit

PRÆSES.

TE quoque magnorum ducit via celsa vi-
rorum,

*Valthere; ut tollas nomen ad astra tuum.
Hactenus in medicâ versatus alacris es arte,
Hippocrates notus, Pergameusque senex;
Quidnî exanthlato jam præmia digna labore
Poscas? Virtutis gloria prompta comes.*

*Paucula hæc Nobiliss. atq. Clarissimo Domino
VALTHERO, Practico Crimmicensi &
Zwickaviensi felicissimo, Fautori
honoratissimo,
f. c. & m. adjicere voluit*

**B. Knoggen. E. Secr.
Inge.**

Ingenii sic pandis iter, CLARISSIME FAUTOR,
Lingvâ dùm doctâ differis ingenuè.
Pagina testis erit præsens, sancteque loquetur
TE dignum magnis laudibus esse virum.
Muneribus nunc Fata TUAM compluribus
ornant

Virtutem, meritis laudibus & titulis.
Chloris, cui Zephyrus dotales tradidit hortos,
Cingit purpureis tempora læta rosis.
Hæc TE vota manent, hæc TE quoque do-
na sequuntur,

Æquales laudes alma Salana canit.
Votis vota, Tibi, plausus cumulamus acervis,
Concedat summus, stent ea firma, DEUS:
Profit, non obsit decus illud honoris, honori
Sit J Õ V Æ, populo commoda multa ferat.
Nec malè laus cedat, quâ TU mactatus, ho-
norque;

Sed vigeat potius, fidera donec erunt.
A cunctisque coli gaude de nomine tanto,
Ad nutum cedant Fata secunda Tibi.
Ægrotis medicamen erit Tua cura laboris,
Auxilium multis succus & herba parent.
Utque TIBI stabili junxisti foedere Musas,
Sponsam sic faustò foedere junge Tibi.

Pluri-

Plurima nunc paucis concordi corde pre-
camur :

Ignea mens flore, vivida vive DEO.

*His Nobilissimi & Clarissimi Domini DOCTO-
RANDI, maximâ laude dignis honoribus,
antiquum illud, FELICITER! acclamant
litantq̃, EJUS*

COMMENSALES.

Es bleibt wohl darben/ so mancherley die Glieder/
So mancherley der Schmerz: Es klaget fast ein ieder
Von dem und jenem Weh: Doch kömmet hier zu statt
Hygea/ die dem Bett schon viel entrissen hat.
Wohl dem nun / welcher ihr in ihrem Tempel frohnet/
Der wird für seinen Dienst mit Ehr zuletzt belohnet:
Herr Balthar giebt die Prob: der Lehr- Saal zeigt an
Durch klugen Kunst-Bericht/ was sein Fleiß hab gethan/
Da Er den rauhen Schmerz der rothen Ruhr vorträget/
Und wieder ihren Gifft kunstfünd'ge Cur vorschläget;
So/ daß der Lehrer Schluß in dem hochweisen Rath
Ihm schon den Purpur-Hut gewiß versprochen hat.
Ich ehre seine Kunst/ ich preise seine Gaben/
Die Ihn so hoch erhöht/ und Kunst-geadelt haben;
Gott gebe/ wenn nun Ihm die Cron ist aufgesetzt/
Daß mancher Krancke werd durch seine Hülff ergetzt.

Glückwünschend setzte dieses
eilig hinzu

Theodor. Wachtolt/
Med. Stud.